



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Bellum Sacrum Ecclesiae Militantis Contra Turcum
Communem Hostem Christianorum**

Vaux, Léonard de

Leodii, 1685

Qui es in Cœlis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64991](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64991)

in gloriâ tuâ, quando adimplebis eos gaudio tuo, & omni bono; ostendens illis vultum tuum, essentiam tuam, quam revelata facie in æternum contemplabuntur, sibi in illa complacentes, sicut tu in illis; ô Beata Trinitas Deus, unus, trinus, omnium principium & finis, omnes electos tuos Beatos in te solo reddens, ô Pater noster.

Qui es in Cælis.

QUAMVIS ubique sis præsens per essentiam, potentiam, & immensitatem, in Cælis tamen Beatorum; ut in Throno Majestatis tuæ resides: ubi omnes qui ibi sunt & erunt, Divinitatem tuam in Trinitate, sicut est in se intuitivè videbunt & contemplabuntur in perpetuas Æternitates: quâ visione, dilectioni, & fruitioni tuæ indivisim conjunctâ; omnes contemplatores, amatores, & possessores tuos beabis; & omni bono ac gaudio cumulabis, in sæculum sæculi.

Tu es in Cælis Ecclesiæ tuæ militantis, in Templis tibi Soli Deo, uni, trino, dicatis, ubi substantialiter abs-

conditus continetur in Eucharistico Sacramento, totus Christus Rex Glorix, Cœlum cœli, Dominus Cœlorum omnium. Tu es speciali quodam ineffabili & verissimo modo in omnibus justis, qui sunt in Cœlis, & super terram; qui Sancto Spiritu tuo vivificati, sunt Cœli tui mystici, in quibus jucundissimè habitas, & te illis communicas, & es omnia in omnibus.

I. *Sanctificetur nomen tuum.*

IN gentibus, quæ te ignorantes, sanctum tuum Nomen non invocant. Sanctificetur in mundi amatoribus, & in omnibus, qui se Christianos verbis profitentes, vel non credunt in corde, vel fidei veræ, corruptis moribus, & factis impiis contradicunt; per quos Nomen tuum blasphematur in gentibus. Sanctificetur in dies magis in spiritualibus adoratoribus tuis, ut de virtute in virtutem, in sanctitate & justitia coram te semper procedant, crescant & proficiant, usque ad perfectum diem gloriæ suæ in sinu divinitatis tuæ.